B. N. C
FIRENZE
1001
15

1001. 15

BARTHOLOMEI MARISCOTTI Oratio.

De vtilitate Concilij Tridentini, Fauentiæ in Diœceſana Synodo habita anno. M. D. L XV.

CVM LICENTIA SVPERIORVM



FLORENTIAE
Apud Iuntas.
1565.

1272

BARTHOLOMAEVS MARISCOTTVS SYLuano Ractio camaldolenſi monaco vitam precatur fœlicem, & immortalem.

EXimia tua uirtus, morumq; ac vitæ integritas, mi ſuauiſsime Syluane, a quo tempore in tuam veni familiaritatem, tanto me tibi coniunctionis amore deuinxere, vt vitā propriā effundere pro te, ſi res poſceret, mihi videri graue nullo modo poſsit; tantum abeſt vt quantum ſtudij, diligentiæ, induſtriæ, ac ingenij eſt in me (quæ tametſi ſunt per exigua, tibi tamē ſæpe gratiſsima fuerunt) tuis commodis, ac deſiderio tribuam: Adde quod communis patriæ vinculum, et ſanctiſsimæ religionis, in qua tu iamdiu verſaris conſtantiſsime ſtudium, ad meam tibi voluntatem coniungendam vim habent incredibilem, & ad efficiendū vt aliquid tibi denegare, ſi maxime velim, neque debeam, neque poſsim. Igitur cum paucis ante diebus & negotiorum tuæ religionis cauſa, et præcipue vt aiebas, admodum venerandum Antoniū Piſanum camaldolenſiū columen & ornamentum nunc Abbatem Cleſſenſem viſendi ſtudio Rauennā peteres, & caſu illæ noſtræ oratiunculæ, quam in diœceſana ſynodo habuimus, interfuiſſes, petiſſeſque obnixe a me vt illam deſcribendam curarem quo illā tecum Florentiam Benedicto Varchio, & Leonardo Saluiato tuis, & non nihil etiam noſtris oſtendendam ferres, id varijs de cauſis tum factum non eſt, quas cauſas recenſere nunc, cum illas tibi coram tūc aperte narrauerim tuque officioſiſsime meam legitimā excuſationem acceperis, eſſet omnino ſuperuacaneum, aut certe non eſt neceſſe: hanc deſcriptam nunc ad te miſi, quā tecū pro tuo in me amore legas; & ſi eruditiſsimo Benedicto Varcho, & Leonardo Saluiato illam (licet mihi tam peritis auribus digna merito nō videatur) oſtendere volueris, tuum eſto conſilium. Quinque autem illas noſtras actiones in Luterum, quarum vidiſti partem, ad te quam potero citiſsime mittā. Sed publice docendi munere impeditus ſerius fortaſſe quam velles, tuo ſatis deſiderio faciam. Noſti meam valetudinis infirmitatē, & meas occupationes, & quam nō parui laboris res ſit non ignoras, & perfecto qui hoc a me impetraret, præter te, arbitrior me habere neminem. Mox Dante optimo Deo deſcribentur, & ad te mittentur. Vale mi dulciſsime atque optime Syluane, vale, vale, & ſalue, & crebro tuas mihi iucundiſsimas litteras mitte, vt quando tam longo locorum interuallo diſiuncti ſumus, per litteras inter nos quam ſæpiſsime colloquamur.

Fauentiæ iiij. id. Martij. 1565.

BARTHOLOMEI MARISCOTTI ORATIO DE VTILITATE CONCILII TRIDENTINI

Fauentiæ in Diœceſana Sinodo habita. 1565.

TANDEM aliquando, patres optimi, immortalis, & maximi Dei beneficio ſingulari, mira Sanctiſſimi Pii IIII. Romani, & proinde totius chriſtianæ, catholicæ, apoſtolicęq; Reip. ſummi, ac veri Pont. pietate, Illuſtriſs. ac Reuerend. Cardinalium, Epiſcoporum, ac patrum omniū ardente in chriſtianum genus charitate, admirando inuicti Cęſaris, Chriſtianiſſimorum Regum, Principum, ac Rerumpp. conſenſu: vniuerſa catholicorum eccleſia quod iamdudum optauit in œcumenicum ideſt ex omnibus orbis partibus congregatū, generale concilium tantis hęreſum peſtibus, & morum peruerſitatibus, quibus illa tam eſt agitata diu, atque vexata, mederetur eſt conſequuta: vt iam ſanctiſſima lætitia exultantes in illa poſſimus erũpere: hęc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, ac lętemur in ea. Dedit inquam aliquando tandem benigniſſimus Deus caſtis iuſtorum precibus exoratus, vt declarauerit in numera pene doctiſſimorum, ac ſanctiſſimorū virorum multitudo ex toto chriſtianorum orbe in ſpiritu ſancto legitime congregata, peruerſorum, malignorumq; a ſancta Romana ſede apoſtatum nequiſſimis, ſpurciſſimis, ac pernicioſiſſimis dogmaticibus, iniquitatibus, ac ſceleribus, matura conſideratione optimis rationibus, ſacrorū ſcriptorū, apoſtolicaq; auctoritate damnatis anathematizatis, & eliminatis, cui omniū prima ſit in omnes poſt optimū Deum auctoritas, & dignitatis exiſtimatio deferenda, quē quiſq; ſequi, ac reuereri cui parere omnes debeamus, quidq; de ſingulis noſtrę ſanctiſſimæ fidei ſymbolis lege ſit inuiolabili ſentiendum, adeo vt fruſtra ecce Chriſtus hic, ecce illic, peſſimi diabolorū miniſtri poſthac ſint dicturi, & quæ cuiq; vita deceat, claro quodā inquam & aperto modo hęc omnia breui volumine aperuerit, & ad legendū, intelligendū, cōſiderandū, ſeruandumq; omnibus propoſuerit. Atq; huic tam admirando diuini patris luminū muneri ſanctiſſimi Pii IIII. apoſtolica, & neceſſaria acceſſit autoritas, qua quicquid ſaluberrime ſacroſanctum, oecumenicum concilium ad ſanctiſſimæ fidei noſtrę firmitatē, ad morum reformationē, & ad vniuerſam eccleſiā regendā, gubernandamq; pertinens iudicauit, atq; ſanciuit, & ipſe ſapienter, fortiterq; ſuſcepit, & omnibus Chriſti cultoribus ſuſcipiendū decreuit, ſeruandum & curauit, & maximo ſtudio, ac diligentia curat, & curabit ſpero vere Pius & Chriſti Domini amantiſſimus Pont. tāta, & fortitudine, & prudētia Ieſu Chriſto præſtante, vt quod pręterea deſideret a ſanctiſſimo ſpōſo nullo modo ſuauiſſima ſponſa ſit habitura. Et quod præterea his tantis, tamq; ſanctis principiis conſequens eſſe debet, atq; coniunctum, vt Reuerend. Epiſ. per totum orbem ad regendum Chriſtianum gregem, paſcendumq; præpoſiti, curæ huic inuigilent, decreta concilii ſeruanda in ſuis diœceſibus curēt, diuini numinis bonitate, & eorū omnium eccleſiæ ſanctæ pręceptorū obſeruantia, non deſideramus: mirū enim admodum eſt quanta omnes animi alacritate, ac fortitudine curare id cæperint: quin tantā omnes adhibent in ea cura diligentiam, vt nō, niſi perfecta re conquieturi iure merito poſſint exiſtimari. Inter hos autem reuēdiſſimus, ac ſacroſancti concilii

decretis, & ſummo Rom.Pont. dicto audientiſſimus noſter Epiſ. omnia cō-
cilii decreta ſanctiſſima & conſtanter ipſe amplexari cupiens, ſatiſꝗ pro ſuo
paſtorali munere hac in re ſummo Pont. facere, & Dei optimi maximi volū
tatem per concilii ſtatuta declaratam (vt ſic dixerim) adimplere, toto ani-
mo deſiderans, iuſſit hanc ſuæ diœceſis ſynodum iuxta ſacri tridētini conci-
lii decreta cōgregari, quo ita nobis omnibus paſtoralis officii ſui coadiuto-
ribus presbiteris, & ceteris etiā de ſuo grege hominibus ſtatuta, canonesꝗ
concilii, ſummi Pontificis, & Dei optimi Maximi voluntas his de rebus in-
noteſcat: & vt omnes, qui ex huius Fauētinæ eccleſię, quæ illi a Deo, & ſum
mo Pontifice ad regendum eſt credita, ſumus membris, ad rem tantam, tam
ſanctam, tam a tota eccleſia optatam diu, tam Deo gratam, tam vniuerſo ge
neri hominum ſalubrem, ſuſcipiendam, amplexandam, colendam, atque in-
uiolabiliter ſeruandam accingamur. Hoc autē illud eſt, patres optimi, quod
optatum nobis omnibus euenit quarto loco: adeo vt ad ſpiritualem noſtrā
lætitiam nihil omnino iam deeſſe videamur. Itaque hoc vnum tantum ſu-
pereſt vt nos animos noſtros omnes, vt rei huius multo ante cupiētiſſimos,
ad hæc omnia, quæ propoſui, pręparemus: quod vt paratius, & alacrius a
nobis fiat, antequam ad ipſam preſentem rerum tractationem veniatur, de-
cet, vt etiam in huiuſmodi congregationibus moris eſt, aliqua προλογίζειν:
eſtꝗ paucis de vniuerſalis concilii vtilitate, ac neceſſitate, & in eo decreto-
rum neceſſaria obſeruatione diſſerendum. Quam prouinciam nos vt nō te
meritate noſtra, ſed eius auctoritate, ac imperio, cui nefas denegare aliquid,
& facinus eſſet indignum, ſuſcepimus: æquum profecto eſt, ita eandem ve-
ſtra facilitate, beneuolentia, & attentione ſubleuati, & adiuti ſuſtinere poſſi-
mus: quod vt, præſtante optimo Deo, perfecero, perorauero. Quare ſi hunc
diem videre diu ſummo concupiſtis opere, patres optimi, ſi hanc eſſe rem
quam maximam cognoſcitis, ſi pacem, tranquillitatemꝗ totius Reip. Chri
ſtianæ, & animorum ſalutem deſideratis, ſi Dei optimi Maximi veſtigiis vi
riliter inſiſtere, præceptis obtemperare, audire voluntatem, gregemꝗ ſanis
cibis, ac ſancta doctrina paſcere facitis maximi: vos oro, & obteſtor, vt æ-
quo, & attento nos animo, benigne, & humane, dum hæc breuiter perſtrin-
gimus, audiatis: & in me, cui non tantum rhetorum pompæ ſunt, fuciꝗ ſe-
ctanda, nec tantum exquiſito aliquo verborum delectu eſt, ſententiarūque
acumine vtendum, quam chriſtiane loquendum, non acute breuiterꝗ con-
cluſa, non polite compoſita, non eleganter ornata, & conſtructa concinne re
quiratis, ſed potius bonam animi propenſionem, officioſam obedientiam,
ſtudioſamꝗ conſideretis. Quanta fuerit ſacroſancti œcumenici concilii vti-
litas atꝗ neceſſitas, ſiquo in ſtatu res toties catholicæ Eccleſię verſarentur an
te concilium, & quo nunc eſſe cæperint, & maximæ futuræ videantur, con-
ſideratur, facilius longe, longeꝗ clarius apparebit: &, vt inde, vbi rerum o-
mnium caput eſt, exordium ſumam, nimirum a fidei noſtrę, ac doctrinæ ca-
tholicę diſciplinis, quanta diuerſarum hæreſūm prauitate, veluti turbulen-
tiſſimis quibuſdam ventorum ac procellarum tempeſtatibus agitata naui-
cula, Petri Sanctiſſima & Apoſtolica ſedes antea iactabatur. Erat Sancta
Eccleſia pre oppreſſionis, & perſecutionum anguſtia, veluti aqua, diſperſa,
hac illacꝗ diffuſa: nullibi fere poterat ſecura conſiſtere; acerbiſſimis hoſti-
bus, & crudeliſſimis, quo quo ſe verteret, vexabatur: luctus vbiꝗ, pauor vbi
que, & plurima mortis imago: videbatur areſacta, tanquam teſta, virtus e-
ius, adeo vt nullas vltra vires ad ſe ſe defendendam putares afflictæ reſtare:

linguam eius faucibus adhęſiſſe credidiſſes, illamq; in mortis eſſe puluerem iam iamq; deducendam. Circundederant illam infiniti rabidiſſimi canes, odio, inuidia, latratibus, morſu, dentibus, illam miſere vndiq; laniantes, & inconſutilem Domini tunicam maximo impetu, viribuſq; diſcerpere conātes. Quot inſurrexerant, & quotidie inſurgere paſſim cernebantur Antichriſti, qui veros apoſtolicæ Eccleſię filios impune fere ſceleſtiſſimi ſceleſtiſſimis dogmatibus, mendaciiſq; ſceleſtiſſime ſeducere conarentur: & in peſtilentię cathedra ſedentes quamplurimos in viam tenebrarum, & iniquitatis abducerent? Ecce ille, in Germania Chriſtus eſt, aiebat: alius in Boemia eſt adorandum: in Galliæ partibus alius: hic ſalutis viam in deſerto eſſe intra denſiſſimorum nemorum auia non dubitabat aſſeuerare: ibiq;, vbi nihil vnquā fuerat pręter zizania ſeminatum, verum eſſe triticum, ac meſſem Domini Sabaoth affirmare: ille amariſſimas, turbulentiſſimas, ac ſpurciſſimas, & ſordidiſſimas lacunas veros Abrahæ puteos eſſe contendebat, fluuium viuæ aquæ in vitam æternam, fontemq; ſalientem. Quot malignantium, & ſathanæ ſynagogæ paſſim, multę palam omnibus erigebantur, & clam plurimę, in quibus verę Dei optimi ſponſæ aſſidue detrahebatur, & vulpes, tanquam in foueis, & maceriarum cauernis, ad vineam Domini demoliendam paratę latitabant, & rudes animi, ſimpliceſq; in impiorum conſiliis, & via peccatorum inſtruebantur, & dedocti viam iuſtitiæ rectas Domini ſemitas, & veri paſtoris vocem, peruerſiſſimi Lutheri horrēda ſacrilegia, fœdiſſimas veneris furias, & nefandę impietatis genus omne docebantur. Vbiq; peruerſi homines gulæ ventriq;, & iis, quæ ſub ventre ſunt dediti, vel quos monaſterii cancellorum, optimę obedientiæ ſanctęq; caſtitatis tædebat, ſummum animo mœrorem de onere Domini adgeſtandum illis grauiſſimo, doloremq; conceperant: & legis dominicæ ſanctiſſima vincula diſrumpere conantes, iugumq; proiicere, maximam atrociſſimamq; parturientes iniuſtitiam, lacus aperiebant, & effodiebant ad fallendum imperitas animas, conſilia, quæ ſtabilire poſtea non potuere, cogitantes, iniquitatem in ipſorum deſcenſurā vertices meditantes, laqueos ipſorum collo circundandos, foueaſque animorum puritati, ac ſimplicitati pręparabant. Atque ita dolis, & inſidiis, innumeras miſerorum animas decipientes, retro poſt ſathanam ſecum conuerterant, & iniquiſſima zizania vſque ſeminantes in eccleſiæ ſanctæ campis, effecerant, vt pene omnia Domini frumenta ſulcis obruta, in lolium, auenaſq; degenerarent. Neque inſidiis tantum peſſima Luciferi membra, dolis, atque fallaciis Eccleſiæ ſanctæ moliebantur exitium, & lacubus foueiſque, pręcipitiis, ac laqueis, animas mergere credulorum, pręcipitare miſeras, funibuſq; validiſſimis circumligatas ad Luciferum ſecum trahere quæritabant: ſed vitulorum quoque exercitus maximos laſciuientium, ac petulantium adoleſcentum, ſubinde, & pinguium etiam taurorum, iuuenum, ſeniorum, & potentum bellicoſiſſimas acies comparantes, vbique illam, eiuſque filios obſidebant, direptiones, incendia, excidia, ſeruitutem, cruciatus, mortemq; minantes: veluti Leones rapientes, & rugientes, [illegible] r illam os impuriſſimum ſuum aperuerant, tetenderant arcus, & parauer[illegible] ſagittas in pharetris aptauerant, quibus non tantum incautos, & male in ſan[illegible]a fide armatos ſagittarent, ſed vel fortiſſimos quoſque, ſeptos muris, & armis tectos munitoſque configerent. Quin vſque adeo peruerſorum hominum potentia præualuerat, vt & nonnullos magnates in ſuam hæreſim iam adduxiſſent, effeciſſentque vt multi principes, vel maximi, non modo impietatem illorum non punire,

nire, ſed etiam vt ad tanta ſcelera, & ſacrilegia inuiti, & ingratis conniuere cogerentur, ſi ſe vellent vt principes a ſuis populis honorari, debitamq; ſibi ab illis obedientiam exhiberi. Quot onim vel integrę ciuitates a ſuis principibus, & regna vniuerſa pene a ſuis regibus & defecerant, & ſubinde deficere cernebãtur? Quæ iam in tota Germania catholicis principibus exhibebatur obedientia? Nam de Gallia quid oportet commemorare? Nonne ad tempus eſt diſſimulare, & conniuere chriſtianiſſimus rex coactus? Quis porro noſtrum obſecro non ſexcenties hęreticorum tantam manum, qualis mõtano flumine torrens ſternit agros, ſternit ſata lęta, boumque labores, pręcipiteſq; trahit Syluas, in Italiam venturam dubitauit, & credidit, vt has omnes noſtras ciuitates, Romamq; præcipue euerteret funditus, atque deleret? Quot & quanta mala clericis omnibus, ac ſacris virginibus impendere, iam iamque imminere, & quales templorum ſpoliationes, diuinarũ Chriſti Ieſu, ſacrę virginis, & ſanctorum omnium imaginum, ac ſimulachrorum conbuſtiones, eccleſiaſticarum facultatum diſſectiones, monaſteriorum diraptiones, timebamus, & vt pręſentia, & prementia iam horrebamus? Quã paucis ante menſibus erat in tranſalpina Gallia tanta hęreticorum multitudo congregata, quantam nunquam antea meminerimus neque etiam fortaſſe legerimus? Qui omnes nihil aliud omnino conarẽtur, quam catholicum, orthodoxum nomen abolere, quam ſanguinem chriſtianorum effundere, laniare carnem, rapere virgines, matres familias violare, villas, caſtella, vrbes incendere, facultates diripere, agros denique inter ſe ſe, poſſeſſioneſque diuidere? Ac nonne iam nobis videre patres optimi videbamur acerrimas, crudeliſſimas, & efferatiſſimas acies, tanquam rapaciſſimos lupos, hyrcanaſque tigrides ſanguinis humani ſitientiſſimas, o ſanctiſſimum Deum, horreſco meditãs, cum lanceis, fuſtibus, ſtrictis gladiis, variis tormentis, lituis, tubis, timpanis, perſtrepẽtes, maximis itineribus, eo impetu, quo ſpumeus amnis cum exiit ageribus ruptis, oppoſitaſque euicit gurgite moles, fertur in arua furens pelago, campoſque per omnes cum ſtabulis armenta trahit, Caluino, Beſa, Martire, reliquiſque ſpurciſſimis apoſtatis præeuntibus, alpis conſcendere, Romam, Romam, Romam, Barbaris & horrendis vocibus conclamantes? Turbam profecto illam rabidiſſimam iudeorum, ſacerdotum principibus, & Iuda præeunte talem fuiſſe nullo dubio crederem, quę ad Chriſtum Ieſum in horto comprehendendum eſt profecta. Quot adhuc ſunt dies, dicebamus, & Ciſalpinam Galliam occupabunt? Quam mox in Flaminiam irruent? Ah ſceleratiſſimi, & perfidiſſimi apoſtatæ, quid agitis? Quid hoc eſt inhumanitatis? Quid crudelitatis? Quid impietatis? Itane ab omni eſtis humanitate derelicti? Itane feras ipſas indomitas feritate ſuperatis? Itane iram maximi & optimi Dei facitis nihili? ſi hęc ſunt vt aſſeritis, propter chriſtianam religionem, fidemque certamina, cur arma nõ ponitis? Cur papiſticos, quos vocatis, non conuenitis, & cum illis vtri ſint alteris in fide pręferendi, doctrinarum diſceptationibus, & de catholica, vera, & apoſtolica fide argumentationibus decernitis, ac diiudicatis? Cur ita, re neque diſputata, neque vllo modo cognita, ſpoliatis templa? Quid meruere altaria, quid ſacræ Dei, virginis, & ſanctorum imagines, ac ſimulachra, quid calices, quibus puriſſimus Domini ſanguinis offerebatur quotidie, meruere? Docet ne ita fortaſſe Paulus? Nihil profecto minus. Quid vero obſecro ſacrę, Deo dicatę virgines? Quidnam commiſerunt mali, quod illas tam ſpurce, tam turpiter peruerſorum militum libidini ſubiicitis? An vero ab euangeliis iſta didiciſtis?

An ve

An vero iſtam viuendi regulam ſancti apoſtoli docuerunt? Ah immortalẽ, & potentiſſimum Deum, cur vehementiſſimo aliquo fulminum impetu tãtam nequitiam, tam nefanda ſcelera deſuper terram non exterminas? Sed iã illos Romæ videbamus: at at, hic hic fit ſtrages maxima, hic hic getarũ crudelitas, & diabolorum nequitia ſuperatur. Curritur ad ſanctam ſedem apoſtolicam, o ſacrilegia, o ſcelera, ſed nec poſſum, nec volo, nec decet cætera: ubique ignis, vbique ferrum, vbique leonum, & tygrium immanitas exercetur: in ſolitudinem omnia reducuntur: iam eccleſiæ theſauri monaſteriorum, & ſingularum eccleſiarum facultates, quin & priuata cuiuſque bona Barbaris, nefariis, latronibus, ſicariis, pyratis, & id genus, dicam ne hominibus? non profecto, feris ſylueſtribus, vrſis, lupis, leonibus, & ſi quę ſunt etiã rapaciores belluæ & efferatiores, diuiduntur. Iam per totam Italiam nobiſcum meditabamur matresfamilias honeſtiſſimas, ſparſo capillo, abundantiſſimis lachrimis rigantibus genas, miſeras puellas ſecum abducentes, hac illacque fugientes, & cauernas ad latitandum in montibus, & ſolitudinibus quęritantes, & quid, patres optimi, num ego haec fortaſſe nunc ariolor? Nõne ſunt hęc veriſſima? & alia etiam, vt ſcitis, poſſem enumerare, ac, ſi fieri poteſt, fortaſſe maiora. Sed quid plura perſequar? Ad id periculorum erat ſumma totius chriſtianę, catholicęque reip. redacta, vt meminerim ego ſępe numero fuiſſe me vbi deſugiendo, & rebus occultandis inciperet cogitari: neque id immerito profecto: ad id enim potentię prauiſſimi apoſtolicæ fidei perſecutores videbamus perueniſſe, vt iã nefarii, & ſacrilegi orthodoxi nominis hoſtes, vires maiores in dies acquirentes, lęti & ſecuri crederent a generatione in generationem ſe ſe non eſſe mouendos, potentiam illam ſuam æternum in illo flore permanſuram, & fore perpetuam, ac ſempiternam: nã proficere magis, magiſque quotidie malitiam ſuam intelligebant, augeri numerum, & potentiam: hoſtes noſtrę Romanę eccleſię multiplicari: oblitum eſſe Romanæ eccleſiæ Deum optimũ putabant, auertiſſe ab illa faciẽ ſuam, nec viſurum in finem exiſtimabant: neque de tanta illorum perfidia, malitia, nequitia, vindictam vllam, neque poenam vllam requiſiturum, & re vera longe receſſiſſe, & elongaſſe quodam modo, tanta erat inimicorum potentia, & multitudo, a ſua ſponſa ſanctiſſima ſuum auxilium Dominus videbatur, nec vltra fere ad illius defenſionem, liberationẽque conſpicere, & in tantis anguſtiis afflictionibuſque deſpicere: cum interea ſanctiſſima ſponſa, miſeris pene, atque calamitatibus obruta, diuturnam nimis dulciſſimi ſponſi abſentiam ægerrime ferens, illi aſſiduas de puro corde preces effunderet, illum obſecrans, & obteſtans per eius miſericordiæ viſcera, ne ſe deſpectam, & illuſam pateretur inimicorum armis, potentiaque, & ſuperbia vltra vexari. Exurge, exurge quotidie Domine clamabat, ne recedas longius, intende velocius in adiutorium meum, & ad me adiuuandam, & a tanta rabie, ac furiis liberandam feſtina pro clementia tua: exaudi Domine, exaudi iuſtitiã meam, & deprecationem meam attende: iam ſatis Domine meum cor probaſti, & aſpere ſatis viſitaſti, ardentiſſimo me inimicorum igne examinaſti: Iam noli vltra deſpicere Domine, iam velociter me exaudi, ne in finem miſereri obliuiſcaris, neque contineas in ira tua miſericordias tuas. Voce mea ad te Domine, exclamo voce mea ad te meum Dominum, ac regem, intende mihi: in die tribulationum mearum Domine, te exquiro, manibus meis nocte coram te, obſecro, ne deſpiciar: paulum ſi ceſſabis Domine, ſi me diutius illam tuam ſereniſſimam faciem celaueris, ſum prope in inferiorem la-

cum miſere deſcenſura: Iudica iam Domine nocentes me, & me impugnantes expugna: exurge,exurge Domine refugium noſtrum:, & virtus:nō confortentur iniqui: ſciant impii quoniam ſunt homines: iudicentur peruerſi in conſpectu ſancto tuo: cognoſcere,cognoſcere iam Domine iudicia faciēs: in operibus manuum ſuarum comprehendantur peccatores: conuertantur iniqui in infernum,omnes hi peſſimi Antichriſti,qui tui obliuiſcuntur:exalta ſuper illos Domine manum tuam,virtutemque magnifica, diſperde illos in maxima potentia tua: exurge pauperum,& orphanorum liberator, contere brachium malignorum, pereant gentes de ſancta terra tua: exalta me de portis mortis, vt poſſim laudationes tuas in portis filię Syon nunciare: benigne fac in bona voluntate tua ſponſę tuę,vt muri tuæ ſantiſſimę Hieruſalem ędificentur, vt ſedes ampliſſimi regni tui tuis chariſſimis electis præparatę compleantur.Atqui,patres optimi,nonne ita ſe res habet? Nōne ſancta Eccleſia per orbem longe lateque diffuſa iſta clamabat? Quid aliud magis,aut etiam ęque,obſecro, ſanctiſſimi ſummi Romani Pontifices a multis annis a chriſtianorum orthodoxa multitudine requirebant, quam vt quotidie aſſiduæ orationes, preceſque ad optimum Deum funderentur: quam vt deprecationibus,& ſupplicationibus liberationem de tantis hæreticorū anguſtijs poſcerent, ac flagitarent? Et niſi hoc ita ſit, quorſum ergo ſummi Pontifices ab anno milleſimo quingenteſimo ſecundo, quo tempore concilium eſt a beatiſſimo Paulo tertio indictum, tot plenaria iubilæa (vt vocāt) per omnes catholicorum regiones tranſmiſerunt, quibus liberaliſſime ſanctę Eccleſiæ theſauros fidelibus hac vna cauſa impertiebant, quo precibus eleemoſinis,ieiunijſque Deus benigniſſimus exoratus imponendi ſacro ſancto Concilio finem gratiam,facultatemque concederet?Videbant ſiquidem hæreticorum perfidiam vſque adeo pręualere,vt,niſi tanta crudeliſſimorū, ac potentiſſimorum hoſtium ſuperbia œcumenici concilij gladio feriretur, Petri retia,remiges,remos, nauiculamque periclitaturam: periclitaturā inquam,&ſi non ſubmergendam: dicit enim Dominus & ſtant procellæ ſpiritus,imperat ventis,& mari, & obediunt voci eius: fundata eſt eccleſia Domini ſuper firmiſſimam petrā Chriſtum Ieſum, nec venti, nec flumina poſſunt aduerſus illam præualere,& illa,velut oliua,fructificat,& quaſi lignum ſecus aquarum plantatum decurſus, tempore fert fructum iucundiſſimum opportuno.Ergo miſericordiarum pater,qui ſolet ita obliuiſci,vt miſericordiam ampliorem, & iuſtitiam oſtendat acriorem, poſtquam mortificauit, & ſuam pene ad inferos deduxit eccleſiam, viuificauit prius,ad ſuperoſque reduxit: nimirum non eſt in finem obliuio pauperis, patientia pauperum non perit in finem: Vidit humilitatem dulciſſimæ ſponſę ſuę de ſuis inimicis,afflictionem duriſſimā,qua fuerat miſere,grauiterque fere confecta,conſiderauit: Conſtituit ſuper gregem ſuum clementiſſimus Dominus paſtorē fideliſſimum,& Dei ſui ardentiſſimum ſectatorem Pium quartum, qui mira in Deum pietate, & ardente in gregem Domini charitate, hoc ſacroſanctum concilium reſumpſit,indixit, iuſſit,erexit,& oblitus alia omnia,omnino perfici,abſolui,& concludi curauit,& perfectum,abſolutum, concluſum ratum eſſe,& omnia in eo decreta ſarcta tecta obſeruari mādauit: & hoc modo ſapientiſſimus Deus ſuperborum mente confuſa,& iniquorum potentia repreſſa,damnata malitia,atque perfidia per ſacroſancti concilij determinationes,colendi ſui ritum verum, modumque aperuit: atque propoſuit ſuæ ſanctiſſimę fidei retinendę regulas,canoneſque,& hæreſum extirpandarum rationē.

rationem. Conſolidata ſunt itaque membra debilia, diſſoluta coniuncta, frigida calefacta, & confirmata fortia, vlceroſa exuſta, putrida, fætentiaque ſecta, & abſciſſa. Qui enim ante concilium ita erant in ſancta fide noſtra debiles, vt vix poſſe quodammodo viderentur ſtare, vix latratibus rabidiſſimorum canum, & maledictionibus reſpondere, conatibuſque abſiſtere, qui vel tenui hæreticorum verborum aura huc, & illuc ita impellebantur, vt nuſquam firmo greſſum poſſent, veſtigijſque conſiſtere, tanta ſunt propter concilium fortitudine roborati tam firmi, & conſtantes effecti, vt nõ modo ipſi iam fortiſſime ſtare poſſint, ſed & cæteros debiles regere, & vel ipſos in fide quaſi paralyticos ſuſtentare: tantaque firmitate, ac vehementia hæreticorũ furijs & conatibus iam reſiſtunt, vt non modo illorum fallacijs non capiantur, ſed eorum falſas ac ſacrilegas argumentationes, atque Sophiſmata ſapiẽtiſſime redarguant, refellant, diluant, infirment, atque confutent. Qui ita labanti animo titubabant, vt quaſi diſſoluta membra, & paralytica perpeſſis muſculis, ſtupefactis neruis, ac reſolutis, veniſque contractis, a corpore nutrimentum vitamque non trahentia, Eccleſię ſanctæ corpori vix hærerent, & ab illa, motu, ſenſuque amiſſo, ſpiritalis vitę alimenta nulla omnino perciperent, fidei venis contractis, neruiſque (vt ſic dixerim) ſtupidis factis, apertis modo ſpiritali ſanguini fidei venis, neruis calefactis, muſculiſque ad robur priſtinum reſtitutis, ardentiſſimo amore ſunt cum Eccleſia nexi, ligati, vincti, & vehementiſſime firmiſſimeque illius corpori ſunt coniuncti.

Qui vero tam puſillo animo erant, & tam timido, frigidoque (vt dicitur) vt quaſi nihil ad illos res Eccleſiæ pertinerent, inutiles operarij, ſerui nequam, canes muti, ſemper tacerent, nihil boni agerent, nullo adiumento, nullo auxilio ſanctam Eccleſiam leuare, ac iuuare conarentur, quique ſi vel vno digitulo hęreticos omnes repellere, ac exterminare potuiſſent, nec tentaſſent quidem, idque propter ſocordiam quandam hęreticorum ſemine tamen generatam, atque deſidiam: tam vehementes modo, feruentes, ardenteſque facti ſunt, vt proprio ſanguine, vitaque incommoda Eccleſiæ redimere ſint parati, tantum abeſt vt omne ſuum auxilium, vires, opes, copias, ad hęreticorum conatus infringendos Eccleſiæ negent. Et qui ante concilium catholicã Romanam Eccleſiam fortiſſime, ſermonibus, concionibus, ſcriptis, diſputationibus, armis deniq;, facultatibus, & modis omnibus defendebant, quis nũc immortalem Deum, poſſit illorum alacritatem in ea re non dicam exprimere, ſed ſecum ipſe tantum exiſtimare? Cum enim ad illorum bonam animi propenſionem, rectiſſimamque de fide opinionem, & innatam Eccleſiæ defendendæ uoluntatem, ac deſiderium, ſacroſancti concilij autoritas nunc acceſſerit, læti quod recta ſenſiſſe, ac defendiſſe inueniuntur, totis ſuis viribus, ventis, ac remis in id catholicæ Eccleſiæ defendendę ſtudium incumbunt, manibus, pedibuſque (vt aiunt) obnixe omnia faciunt, vt orthodoxæ fidei cultores acerrime cuſtodiant, vt hoſtes Romanæ Eccleſię reijciant, abigant, procul repellant, de medio tollant. Itaque tot ac tantis acerrimis, feruentiſſimis, ac fortiſſimis propugnatoribus, ac defenſoribus eſt catholica Romana Eccleſia ſepta iam, atque munita, putridis membris, & vlceroſis, exuſtis, & abſciſis, vt facile illius omnes peſſimos inimicos breui aut ad veram viam, vitamque conuertendos, aut euertendos prorſus, funditusque delendos exiſtimare poſſimus. Quare patres optimi, cum tria pręcipue ſancta tridentina Synodus iure meritiſſimo ſpectauerit, vt hæreſeon peſtibus mederetur, & portum naufragijs circa fidem imminentibus aperiret, atque oſtenderet: vt

Chriſtianorum vitiis erumpentibus paſſim, occurreret, & abuſus de ſancta Eccleſia tolleret: & vt (& ſi hoc fortaſſe in morum reformatione includi poteſt) paſcendi gregis dominici modum certum, ac lege inuiolabili ſeruandū proponeret, ex his tribus inquam hęc prima eſt, vna quidem genere, ſed ſpecie multiplex, ac diuerſa ſacroſancti Oecumenici concilii vtilitas, quod & omnia infirmorum de fide dubia, hæſitationeſque ſuſtulerit, recteque ſentiẽtium fidem confirmauerit, & prauorum hęreſes ſchiſmataque damnauerit. Qua quidem re perfecta, quid obſecro vtilius, quid melius, quidue vllo modo conducibilius, patres optimi, orthodoxorum vniuerſo gregi poteſt exiſtimari? Quid magis tota chriſtiana reſpublica votis omnibus, ac precibus feruentiſſimis a Domino poſtulabat? Quid hac vna re magis erat, aut etiam æque, vniuerſæ catholicorum multitudini neceſſarium? Quid potius a Pio quarto, paſtore gregis Dominici ſanctiſſimo catholica Eccleſia requirebat? Quid vero denique ſanctiſſimus Deus, ac benigniſſimus militanti Eccleſiæ dare potuiſſet optatius? Hoc perfecto ſunt malignantium conciliabula diſſipata, captæ vulpeculæ, pſeudoprophetarum ſophiſmata redarguta, & ſathanę ſynagogæ dirutæ, ac diſſolutæ. Habent nunc quo ſe, ſanctamque Eccleſiam defendant modo, indocti, & imperiti: ſic viſum eſt patribus ſatis eſt dicant, ſic in ſpiritu ſancto legitime cōgregata ſancta ſynodus iudicauit. Habent fortes quo iam feriant acrius, iugulentque gladio Eccleſiæ hoſtes peruerſiſſimos, quibus armis boni paſtores lupos rapaciſſimos longe a gregis Dominici caulis arceant, quibuſque leones rapientes, rugienteſque confodiant. Cui poſthac obſecro poterit ex toto fidei noſtrę ſymbolo in tertia ſub ſanctiſſimo Paulo tertio ſeſſione a ſancta ſynodo comprobato dubium vllū exoriri? Quis vel imperitiſſimus homini hæretico hac in re non ſapientiſſime iam reſpondeat? Quis autem ſe bene ſenſiſſe, recta credidiſſe, ſuamque fidem a ſacroſancto concilio, & perinde a ſpiritu ſancto comprobatam, non lętetur, & maximopere ſecum gaudeat? Quid ſpurciſſimę diabolicorum hominum ſectæ de Patre, Filio, ac Sancto Spiritu, Catholica Eccleſia, Remiſſione peccatorum, Reſurrectione, & quouis fidei articulo ſimplicium auribus iam obmurmurent? Sed hęc erant veterum (vt ita dicam) diabolorum tentamenta: ad recentiora veniamus. Machabeorum libros, primum, & ſecundū Luther non admittebat, nec Diui Iacobi epiſtolam, quod nimirum eius turpitudinem, furias, ac dementiam (& ſi tota ſcriptura ſancta conuincit) apertiori quodammodo arguant, atque confutent: & proinde ſi quis ex illis de purgatorio, confeſſione, oleo ſancto, aut alia re quapiam in diſputatione autoritatem adducebat, non eſt aiebant peſſimi Lutheri ſceleſtiſſimi ſectatores iſta ex canonicis libris, & ab Eccleſia probatis autoritas: quid iam dicent? Legant quartam ſub beatiſſimo Paulo tertio ſeſſionem, & videant quid de his cum cęteris canonicis ſcripturis ſacroſancta ſynodus iudicauerit. Illa enim a ſacra Geneſi vſque ad Ioannis Apocalypſin libris omnibus veteris, & noui teſtamenti, vt in veteri vulgata latina editione habentur, nominatis, ſi quis autem, adiungit, hos libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit, & ſciens contempſerit anathema ſit. Eant nunc fœdiſſimi zizaniorum ſeminatores, & locum illum, ſancta ergo & ſalubris eſt operatio pro defunctis exorare vt a peccatis ſoluantur, & cæteros huiuſmodi de illis libris, & fides ſine operibus mortua eſt, infirmatur quis in vobis adducat presbyteros Eccleſię, & vngat eum oleo, paruipẽdāt, aut vllo modo irrideant. Pergant porro, ſi poſſunt, iniquiſſimi, & libellos ar
te dia-

te diabolica conſcriptos,maledictionibus,amaritudine,aſpidum veneno,hę reſibus,blaſphemicis,venereiſq; furijs refertos, in catholicis regionibus diſſeminent, quibus incautas, & ignaras ſimplicium animas retro poſt ſathanam ſecum auertebant,cum in eadem ſeſſione huic tanto malo anathematis pœna,& pecuniæ in canone concilii nouiſſimi lateranenſis appoſita prudentiſſime ſit prouiſum. Quid vltra garrient peſſimi Antichriſti contra orthodoxę Eccleſiæ doctrinam de originali peccato, de obſeruatione mandatorũ Dei,de iuſtificatione,cum eadem ſancta tridentina ſynodus in ſexta ſeſſione triginta tres canones fere contra illos omnes,ſub horrendi anathematis pœna decreuerit,ac promulgauerit? Et quid contra Eccleſiæ ſacramenta cauillari poterunt ſpurciſſimi nebulones, cum tredecim canones de ſacramentis in genere,de baptiſmo quatuordecim,de confirmatione tres, in ſeptima ſeſſione,vndecim de ſãctiſſima Euchariſtia in tertiadecima, quindecim de pœnitentia,quatuor de extrema vnctione in quartadecima, de cõmunione ſub vtraque ſpecie ac paruulorum quatuor in vigeſima prima, octo de ſacris ordinibus,in vigeſimatertia,duodecim de matrimonio, promulgatos a ſynodo legerint? Quid poſthac animorum peruerſiſſimi ſeductores contra diuinum,ac cæleſte prorſus miſſæ ſacrificium blaſphamauerint,vigeſima ſecunda ſeſſione ſub beatiſſimo Pio quarto celebrata perlecta, nouemque de miſſa canonibus in eadem ſeſſione declaratis? Quid cauillentur poſtremo ſacrilegi diabolorum miniſtri, de purgatorio, de inuocatione, veneratione, reliquiis ſanctorum, & ſacris imaginibus,de regularibus hominibus,ſacris virginibus, & de indulgentijs, vigeſima quinta ſeſſione, nona ſub ſanctiſſimo Pio IIII.ita omnibus declaratis,diſcuſſis,ac determinatis, vt nihil clarius,nihil apertius,aut ſanctius etiam poſſit optari? Itaque non erit amplius quod legis diuinę,ac ſacrarum ſcripturarum declaratores,verbi Dei ſeminatores, & ſancti euangelij annunciatores,in ſuis concionibus, lectionibuſue nimiũ, in diſputando,argumentando,probando,infirmando, confutandoque laborent. Nam ſi erit,exempli gratia,ſermo de purgatorio,ſatis ad eius rei veritatem confirmandam fuerit adducere ſacroſancti concilij autoritatem: cui æque,ne dicam magis,ac euangeliorum voluminibus eſt credẽdum. Igitur maximo Deo primum,a quo datum bonum omne deſcendit,habere tantas gratias debemus,patres optimi, quantas maximas animi noſtri capere poſſunt, & nomini altiſſimi noſtri Domini pſallentes in illud licet erumpere: cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem proiecit in mare: fortitudo noſtra, & laus noſtra Dominus, & factus eſt nobis in ſalutem: iſte Deus noſter,& glorificabimus eum, Deus patrũ noſtrorum,& illum exaltabimus: fecit potentiam in fortiſſimo brachio ſuo,diſperſit ſuperbos mente cordis ſui,recordatus eſt miſericordię ſuę,& veritatis ſuę domui Iſrael: Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam: audiuit & lętata eſt filia Syon,lux maxima eſt orta iuſto,& rectis corde ſanctiſſima lętitia: lętentur cœli,exultet terra,cõmoueatur mare,& plenitudo eius, gaudeant campi, & omnia quæ in eis ſunt: exultent omnia ligna ſiluarum,flumina plaudant manu,ſimul montes exultent in conſpectu Domini: Benedicamus Dominum in omni tempore,ſemper laus eius in ore noſtro: Benedicant animę noſtrę Domino,& benigniſſimas eius retributiones nunquam poſthac obliuiſcantur. Hoc enim nobis bonum a ſanctiſſimo patre luminum deſurſum a quo ſunt omnia in extremis fere miſerijs calamitatibuſque deſcendit. Cum a Dei gratia ſingulari po

ſtea diſceſſerimus, hoc totum ſanctiſſimo Pio quarto, qui hæc omnia ita cõcludenda curauit, & perficienda, ferendum eſt acceptum. Cui quidem ſanctiſſimo, & optimo Pontifici tantas gratias a toto chriſtianorum grege agẽdas eſſe intelligo, & habendas, quantas humanum animum nullo modo capere poſſe mihi perſuadeam. Quid enim? An obſecro factum hoc, & inceptum vobis humanum viſum eſt, patres optimi? Quis vero tam priuati commodi, & vtilitatis oblitus, tam parui ſingularem honorem, & pręcipuã quandam dignitatem pendens, tam nihili innumerorum pene ſimultatem, ne dicam odium, & inuidiam, faciens extitiſſet, vt ſua concilij approbatione ſibi annuos cenſus non mediocriter imminuere, alteri pręcipuum ſibi reſeruatum honorem concedere, & infinitum aduerſariorum numerum nullo ſuo emolumento, nulla ſua cauſa comparare voluiſſet? Non eſt opus, credo, hęc declaremus apertius, quid mihi velim. ſcitis: quam enim multa per concilium ſunt Epiſcopis ad concedendum, iudicandum, decernendum demandata, quæ ante concilium non paruam ſummo Pontifici vtilitatem afferebant, & in honorem non vulgarem redundabant? Quibus deinde aliquid incommodi a concilij decretis obuenit, eos vos fortaſſe, patres optimi (exceptis ijs, qui recta ratione cuncta, & bona mente ſuſcipiunt, quorum numerum non multum me fallit, quam ſit exiguum) hos inquam putatis vos eſſe ſummo ſanctiſſimo Põtifici nunc, aut amicos futuros? Eſſet hic neſcio quid fortaſſe: ſed aperte omnia dixiſſe nec bene ſemper ſucceſſit, nec eſt iudicandum ſapientis. Itaque quanto ſacroſancti concilij approbatio, a priuatis cõmodis, & pręcipua quadam honoris exiſtimatione magis abhorrere videbatur, & multorum indignationem ſubitura tanto id nihilominus aprobaſſe laudabilius debet, & magis admirandum videri. Quod factum ego diuinum eſſe non hominis aſſeuerare tãto minus vereor, quanto magis id omnibus eſſe apertum communi ſermone percipio: vt hunc tantum Pontificem nobis in tanto rerum, anguſtiarumque articulo diuinitus datum ad hæreticorum nequitiam conuincendam, & vitia chriſtianorum eliminanda intelligamus. Gratias itaque illi habere quas debemus nullo pacto poſſumus, quod poſſumus illi optimum de cælo præmium, coronamque de tanta bonitate, pietate, & charitate precemur. Fortunet actus omnes tuos optimus Deus vbique locorum ſumme Romane Pontifex atque ſanctiſſime, tibi altiſſimus cœlorum, & terræ autor ſua benignitate, ac potentia, de ſuis æternis theſauris, ac cæleſtibus abundantiſſimam remunerationem ęqua lance diſpenſet: plenam tibi de cęlo victoriam contra tuos, & Eccleſiæ ſanctæ hoſtes iniquiſſimos benigne concedat, te clementiſſimus, & optimus Deus nobis incolumen quam fieri poteſt diu, quam multos optamus annos, ad ſuæ gloriæ magnitudinem, atque laudem, pro ſua in genus hominum charitate conſeruet: tibi ſanctiſſimus, vehementiſſimus, ac fortiſſimus Dei maximi Spiritus perſeuerantiam, robur, virtutemque acerrimam pręſtet ad ea, quæ ſanctiſſime cæpiſti, perficienda, & ad optatum finem fęliciſſime perduceẽda. Sed hęc alieniora fortaſſe videantur, ad inſtituta pergamus. Diximus de prima ſacroſancti concilij vtilitate: qua in re declaranda vt veſtras aures beniгniſſimas ſum expertus, patres optimi, ſic vos rogo, & obſecro, ad ea attendenda, quæ ſuperſunt nobis demoſtranda, veſtros animos componatis, vt vobis omnibus gratias agere maximas de veſtra humanitate debeamus. Et ſi nullã aliam vtilitatẽ, patres optimi, a ſanctiſſimo concilio ſancta Eccleſia percepiſſet, quam quod hæreticorum nequitiam prauitatemque damnauit

fidem

fidemque noſtram confirmauit,ac declarauit,meo quidem iudicio,tam fuit vtile,quam ipſa vniuerſa Eccleſia nullo modo poſſet exprimere. Cum vero ea etiam in morum reformatione prꝑſtiterit,quæ animis chriſtianorum vtiliſſima,& neceſſaria maxime,& ſunt,& videri debent,quid dicemus? Nonne angelicum quid ac diuinum fuiſſe hoc ſanctum concilium exclamabimus? Nonne vel angelorum non poſſe ore ſacroſancti concilij vtilitatem explicari? Nonne ipſius Dei ad rem tantam hominibus explicandam requiri ſapientiam? Et profecto ita ſe res habet: & ipſe Deus altiſſima ſua ſcientia hoc ſuum munus admirandum,& incomparabile donum chriſtianorum ſemini datum, ſi explicandum eſt vllo modo,explicet neceſſe eſt: ſi quis enim ore mortali,& angelico etiam poſſit aduentus Dominici magnitudinem, & quæ inde vtilitas generi hominum venerit enarrare, is nunc etiam ſacroſanctum concilium quam fuerit orthodoxorum multitudini vtile declarabit. Nam veniſſe quodam modo rurſus filium Dei poſſumus aſſeuerare ad ſalutem de inimicis noſtris faciendam de manu omnium, qui nos oderunt, ad eos, qui in tenebris,& vmbra mortis miſeri ſedebāt,illuminandos,& in pacis viam pedes eorum dirigendos, vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati illi ſoli in cordis puritate, animorumque ſinceritate ſeruiamus. Atque hoc illud eſt patres optimi, quod me aliquantulum recreat, ac ſummo mœrore leuat, quatenus tanto muneri videri poſſem defuiſſe: quod vere omnes intelligant eam fuiſſe ſacroſanctæ ſynodi tum quod ad fidem, tum quod ad morum reformationem vtilitatem, vt me,ſi mihi linguæ centum ſint,oraque centum,& ferrea vox,ne vel minima quidem ex parte quā ſanctæ Romanæ Eccleſiæ œcumenicum concilium vtile fuerit oratione conſequi non poſſe cognoſcant. Hic ego ſolum patres optimi ſingulatim varias, ac diuerſas morum reformationes a ſancto concilio inſtitutas, a quo fonte plurima viuę aquę flumina in chriſtianum genus, promanarunt, manant, & manabunt etiam in futurum,perſequi poſſem ſi liberet,& ita quo ad eius a me fieri poſſet,enarrare quanta fuerit œcumenici cōcilij vtilitas, quam ad mirabilis fructus,quamque illius orthodoxę multitudini celebratio neceſſaria: idque facere libentiſſime profecto ad noſtram ædificationem, & Dei pręcipue gloriam niſi plurimis, ac iuſtiſſimis cauſis prępedirer: & primum quidem vererer,patres optimi,ne illi ſe a me clamarent offendi,ad quos aliqua ex his,quas narrarem,morum reformationibus,præcipuo quodammodo pertinere videretur: quamuis enim ego de omnibus in genere dicerem, dum tamen ſingula notarem, quempiam facile poſſem, vt ipſi vobiſcum exiſtimare poteſtis,lædere. Quare hac orationis parte,meo quidem iudicio, eſt vel hac vna tantum cauſa ſuperſedendum: præterea,ſi maxime id facere ſine cuiuſquam offenſione poſſem,nimis multi fortaſſe videremur,tum diu ſumus in ſuperioribus commorati: & non multum nobis eſt datum temporis ad dicendum,& his eiſdem de cauſis de modo paſcendi gregis Dominici a ſacro ſancto concilio inſtituto nihil addemus. Sed quid hoc, obſecro, eſt, quod me hic acerrime intus exagitat? Quis furor linguam alio longe ab eo, quod mens decernit,vocat ac rapit? Quid vos,patres optimi? Quæ tandem veſtra eſt hac de re mens atque animus? Num hic tacendum eſt? Num hic debeo cuiuſquam ſimultatem vereri? Nonne hic vel ipſa particularia carpere liceat, & fortaſſe etiam maximopere expediat? O quam optarem hunc morem in concionibus iam fuiſſe receptum diu,vt audientes ei,qui dicendi prouinciam gerit, interrogati aperte reſponderent, & qui eſſet eorum de

quaque re, animus voce ipſa, & acclamatione declarent. Erat hoc moris apud antiquos, erat certe: ſed quando id ætas noſtra ferre non videtur, nec poſtulabo. Non me tamen latet hoc vobis omnibus futurum eſſe gratiſſimum. Neminem lædam: niſi fortaſſe lædere quempiam pręcipue ille ſit exiſtimandus, qui prędonum, qui piratarum crudelitatem, qui parricidarũ & ſacrilegum ſcelera oratione vituperat, & quam ſint ea facinora homine, præſertim chriſtiano, indigna, demonſtrat. Qui autem nobis ad dicendum breue tempus præſcripſerunt, ſi ea, quæ ſanctiſſime ſacroſancta tridentina ſynodus decreuit, & inſtituit ad chriſtiani generis vtilitatem, animorum ſalutem, & Dei optimi gloriam longius perſequar, æquo animo meam hac in re ſolertem diligentiam, ac ſtudium ferant: quam enim prouinciam mihi tradiderunt, quam poſſum optime, ac perfectiſſime regere conor, & adminiſtrare. Et quia ſcripturarum ignorationẽ videmus (vt Diuus Hieronymus ait, eſſe optimi Dei ignorationem, hanc autem vitiorum omnium, ac ſcelerum pręcipuam cauſam, hinc ſumamus exordium. Et hic ſi quis a me offendi ſe clamabit, & impugnari is profecto ſuam malitiam, ac nequitiã demonſtrabit, & ſubijciet oculis omnium conſiderandam. Quę iam obſecro ignominia, quod tantum dedecus turpiſſimę clericorum ignorantiæ mundum oppreſſerat? Quam multi ad ſacerdotij gradum, & animarum regendarũ, ac paſcendarum curam, onus angelicis humeris formidandum, eligebantur quotidie, & aſſumebantur qui, vt amittam morum, & vitę degendæ rationem fœdam admodum, atq; indignam, non bene primas cognoſcerent elementorum notas, non vel prima ſcirent noſtrę fidei erudimẽta, qui fere oratiunculam Pater noſter ignorarent? Nimirum iſti erant ex Diui Pauli preſbyteris, duplici honore digni, quod exemplo & doctrina populũ ſibi creditum in ſancta Chriſti Domini fide inſtruerent, a malis operibus deterrerent ad bonas actiones, ad vitæ honeſtatem, & integritatem hortarentur, & animarent. Hoc autem & Epiſcoporum incuria, & eorum qui aſſumi volebãt, prauitate, & illorum, qui ad tantum onus aggrediendũ rudes homines hortabantur, & ſępe numero quodam modo compellebant, ſocordia & malitia etiam contingebat. Itaque aſſidue vbique clerici, quod quale proprium eſſet officium ignorarent, varijs, ac diuerſis negotijs, laycis hominibus alioqui honeſtis, incumbebant, & ſanctam domum orationis Domini negotiationis mercatum reddiderant, ſpeluncamque latronum. Qui autem nullam fere Dei cognitionem, cum omnia neſcirent, aſſequuti ſemper in conuiuijs, in ludis, venationibus, choreis, tripudijs, & vanis hominũ colluctationibus verſabantur, hos vos patres optimi, quid Chriſto Domino promiſiſſent conſiderare, quanti ſancta caſtitas eſſet facienda pendere, quale ſacrilegium illis eſſet habere concubinas; intelligere, aut animaduertere putatis? Non fieri poteſt: ergo tam multa neſaria, turpia, fœda videbamus. Quid vero nũc, quid factum eſt? Cautum a ſancto concilio, nequis in poſterum ſacris initietur, cui primum iuxta Diui Pauli ſanctiones, a quibus debet id fieri, bonum de vitę honeſtate, ac integritate teſtimonium non reddatur, qui deinde ita non ſit in literis, & pręcipue ſacris inſtructus vt plebem Domini ſi ſit opus regere, ac ſancta doctrina paſcere poſſe iudicetur: & qui non ob ſacrorum canonum, & legum omnium & ſacrę paginæ, ac diuinorum mandatorum ignorationem infinitos errores in ſe, Deum, & proximum ſuum ſubinde cõmittat: & vt hac in re quanta maxima fieri poteſt diligentia, & ſtudium adhibeatur, examinatoribus eſt datum officium ad ſanctiſſima Dei euãgelia iu-

ratis

ratis nihil ſe curæ,& induſtriæ in ad ſacros ordines admouendis examinandis omiſſuros,& nihil fraudis in ea re aut priuatæ amicitiæ cauſa,& neceſſitudinis,aut commodi,& vtilitatis admiſſuros. Itaque ſperare iam licet breui clericorum doctrinam, & ſapientiam ad naſcentis Eccleſiæ diſciplinam eruditionemque reuocandam,tãtamque inſcitiam de ſancta chriſtiana rep. catholicaque tollendam. Qua quidem vna re ſimul infinita mala,innumerę ſcelerum peſtes tollentur, ac prauitates: vt enim ille qui adeptus fuerat ſapientiam,ſibi cum illa bona omnia veniſſe teſtatur, ſic etiam cum inſipientia mala omnia eſſe abitura, quis dubitabit? Nam de habitu clericorũ quid oportet commemorare? Videre erat alium militari ſago indutum palliolũ laicorum more circumferentem: alium enſe,lancea, tormento ferreo ſicariũ nocturnum,aut gladiatorem de cauea inceſſu,& aſpectu ſuperantem: nunc autem? Mirum admodum eſt quanta rerum omnium ſit facta mutatio. Clericos omnes videmus ad talos vſque demiſſa tunica modeſtos incedere, & vultu,inceſſu,geſtu,ſimplicitatem quandam, & religioſam ſinceritatẽ præ ſe ferre. Regulares vero & moniales,vbi non fere omnes ad tantam viuendi licentiam venerant, vt nihil iam inter illos commune diceretur, proprium commodum omnibus,victum,cenſum, poſſeſſioneſque ſectantibus? Quid referam monaſteriorum, & collegiorum,in quibus Deo dicatæ virgines cõſeruantur, frequentationes periculoſas ac ſcandaloſas? Quid reliqua perſequar? Dici vix poteſt quanta morum peruerſitate fere omnes laborarent: quid nunc,quo ſe modo res habet? Pietatem,puritatem,ſanctitatemque videntur omnia redolere. Qui deinde abuſus in Eccleſia verſabantur? Quot mala hinc erumpebant? Dies profecto me deficiat,ſi velim ſingulas & hac, & cæteris in rebus morum reformationes a ſancto concilio inſtitutas commemorare? Grex autem Dominicus, patres optimi oues ter Petro a Chriſto comendatæ quonam tandem modo paſcebantur? Lac ſatis erat, & lanã inde percipere, quo vero eſſet illis pacto conſultum negligebatur omnino, & contemnebatur. Grex in Hiſpania,in Gallia morabatur, lupis expoſitis, Romæ paſtor auram popularem, & id genus alia quæritabat: hoc profecto affirmare non dubitem,fuiſſe non nullas ex Dominico grege ouiculas, quæ paſtoris vocem nunquam omnino audierint,neque illum vnquam de facie viderint. Igitur mirandum non erat ſi templa vbique corruere cernebãtur, eccleſiarum bona diſtrahi a laycis,hac illacque diſcerpi: mirari pari ratione non oportebat rudes Domini plebeculas male in ſancta fide inſtructas,& edoctas ſuperſtitionibus inſeruire, & vitam homine Chriſtiano parum dignam ducere: quid nunc, quid factum eſt? Decretum a ſacroſancto concilio vt ſinguli Eccleſiarum rectores,Epiſcopi præcipue, & ceteri etiam inferiores,& ſimplices clerici,ſibi credito a Domino gregi paſcendo, erudiẽdo, in ſancta fide inſtruendo,a lupis rapacibus defendẽdo,totis viribus præſentes incumbant,ſingulis diebus feſtis aut ipſi ouibus viam Domini prędicẽt & ſcripturas omiſſis quæſtionibus inutilibus vel ipſi declarent,vel declarãdas curent: gregemque ſuum in Dei voluntate, & obſeruatione mandatorum eius retinere conentur: ouium morbis leuia primum fomenta, deinde combuſtiones adhibeant,&cum opus fuerit ſectiones,& a cetero grege ſeparationes: templa præterea diruta reſtaurent,vbi nulla ſunt, & tamen neceſſaria noua ędificent, omnibus denique modis ouium Dominicarum commodis,fidei eruditioni,correctioni,ac ſaluti conſulãt. Iam ergo vbique videmus verbum Domini late ſeminari, ęternam ſalutem populis nunciari, re-
ctam

ctam Domini ſemitam demonſtrari, ſcripturas declarari, & plebem Domini viam ſalutis edoceri, & in ſancta fide inſtrui, & erudiri. Iam vbique cernimus templa inſtaurari, ex illis eijci ſordes, calices rubigine conſumptos expurgari, nouos fieri, altaria labentia, & vetuſtate conſumpta renouari, noua erigi, quæ recta ſunt, honeſta, & ad diuinum cultum pertinentia vndique comparari. Epiſcopi ſuis gregibus paſcendis omnes inuigilant, clerici paſtoris vitam, & vitę regulã ſequuntur, & omnes fornicarijs abdicatis, vni ſponſæ ſummo amore coniuncti adhærent, & charitate. Exitum oratio profecto non reperiat, ſi quanta incuria hęc antea non fiebant, & quanta nunc diligentia fiant, ſingulatim coner oſtendere. Quare ſatis primæ noſtræ orationis parti factum exiſtimetur: nam fuiſſe ſacroſanctum generale concilium vtiliſſimum, ac maxime neceſſarium aperte ſatis eſt, vt opinor, declaratum: quod nimirum (vt dixi) omnia infirmorum de fide dubia hęſitationeſque ſuſtulerit, recteque ſentientium fidem confirmauerit, hæreticorum nequitiam, prauitatemque damnauerit, malos chriſtianorum mores reformauerit, & ad rectam ſemitam greſſus eorum reduxerit, paſcendi gregis Domini ei regulas inuiolabili lege ſeruandas propoſuerit, & abuſus de ſancta Eccleſia eliminauerit. Sequitur modo vt (quemadmodum propoſuimus) aliqua de concilij obſeruatione dicamus, & ita huic noſtrę imponamus orationi finem. Atque hac in re patres optimi, mea quidem ſententia, non eſt pluribus immorandum: oſtenſa enim, & intellecta ſacro ſancti concilij vtilitate, ac neceſſitate, id eſſe viribus omnibus inuiolabiliter ſeruandum, & quicquid eſt in illo ſapienter, ſancteque ſancitum ab omnibus Chriſti fidelibus recipiendum, tuendumque, atque cauendum, nequid eorũ, quę in illo decreta ſunt, poſſit quemquam preterire, quis non videt? Quia tamen magni refert vnũquodque commemorari faciendum, & milites ad prælium ſua ſponte ſatis acres, hortatione tamen ſui ducis, & laudis, honoriſque ac premij cõmemoratione longiſſime neſcio quo pacto redduntur acriores, de hac re differere pluribus videri ſuperuacaneum profecto non deberet: & quæ hodie hoc in loco congregatio facta eſt his de cauſis eſt omnino neceſſaria iudicãda. Optime igitur (vt in principio dixi) ex decreto concilij ſapientiſſimus noſter Epiſcopus, & diuini honoris zelantiſſimus, hanc ſuæ Dioceſis aduocari ſynodũ iuſſit, quo cunctis coadiutoribus ſuis presbyteris, ac filijs Eccleſię ſuę, decreta concilij curet proponẽda, & quo fieri poterit modo declaranda, quo quiſque aperte quid ſibi ſit ex concilio faciendum, ſeruandumque cognoſcat. Et ego hic, patres optimi, longa non grauarer vos oratione commonere, & pro mea virili ad concilij obſeruationem adhortari, niſi vos optime ad id ſtrenue pręſtandum veſtra ſponte animatos eſſe iam a vobis ipſis eſſem multismodis admonitus: & niſi dubitarem ne veſtræ in Deum pietati viderer, & in ſanctam Eccleſiam obſeruationi diffidere. Atque nonne ita ſe res habet, patres optimi? Num vos hac in re vllius hortationibus, aut admonitionibus indigetis? Nonne paratiſſimum eſt cor veſtrum ad ſuaue iugum Domini ſubeundum, & leue onus circumquaque geſtandum? Num fortaſſe anguſtam cælorum portam, arctamque viam Domini contemnitis? Nonne propter verba labiorum Domini vias eſtis parati cuſtodire duriſſimas? Profecto frequentiſſimus hic veſter conuentus, & audiendi attentiſſima benignitas, rem aliter non habere pręſe ferunt: quorſum enim huc, oro, tam frequentes conueniſſetis hodie, niſi ad ſacro ſancti concilij ſuſceptionem, obſeruationemque iamdudum veſtros animos præparaſſetis? Qua vero deinde

cauſa factum eſt, vt me tam benigne, tamque humane, & attente de concilij vtilitate diutius diſſerentem attenderetis, niſi quod illa mirum in modum vobis probabantur, & quæ dicebam, vera, vt erant, iudicantes, vt neceſſaria, & maxime vtilia vobiſcum ipſi taciti admirabamini? Quin ipſi veſtrum omnium vultus, & oculi vos hęc omnia ſuſcipiendi, & obſeruandi ardere deſiderio quodam modo clamant. Qua quidem ego de re maximo, & immortali Deo infinitas habeo gratias, quod ita vos omnes ad concilij obſeruationem propenſos cognoſcere mihi videor, & animatos vt ego magnam orationis meę partem de induſtria nunc relinquendam mihi eſſe intelligam, & inde non paruo labore leuer, & noſtro Reuerendiſſimo Epiſcopo hac in re nihil omnino mihi perſuadeam laborandum. Conſtitueram mihi animo patres optimi diſputationem de obſeruatione concilij, vt propoſui in principio, perſequi longius, & nihil, niſi obſeruetur ab omnibus vtilitatis attuliſſe concilium demonſtrare: quod profecto veriſſimum eſſe nemo vnquam non omnino humanæ rationis expers, ac diſciplinæ politioris ignarus, dubitabit: Nam qui parum ſunt in fidei firmitate ſtabiles, ac perfecti, qui inquam labanti animo fidei noſtræ ſanctiſſima ſacramenta ſuſcipiũt ac frequentant, infirmiores multo niſi concilium (quod abſit) obſeruetur, redderentur, eſſetque hic error longiſſime peior priore: & qui fidem noſtrã catholicam totis viribus antea, & Eccleſiam Romanam defendebant, & defendunt, tanto concilij auxilio, ac præſidio deſtituti, ab incepto deſiſterent: & nonnulli fortaſſe (quod procul Deus optimus auertat) ad Sathanæ ſynagogas effugerent: & peruerſiſſimi hæretici ſi quid copiarum antehac ad nomen orthodoxum delendum, & ſi quid ad vineam Domini demoliendam fallacię vulpes habebant, nunc hoc tanto malo flumina profecto, & maria, (vt ſic loqui liceat) iniquitatis aduerſum Romanã Eccleſiam, & nos omnes, facillime congregarent, & quod veriti ſumus diu, noſtro maximo malo experiremur: & qui ante concilium abuſus in Republica Chriſtiana verſabãtur, non confirmarentur modo, ſed in triplicem etiam numerum, & eo amplius operante Lucifero, & eius angelis augerentur: hęc inquam animo decreueram longa oratione oſtendere, & quanta diligentia, & ſtudio ſit concilium obſeruandum aperire: ſed vos veſtra præſentia, patres optimi, hoc meum mutaſtis, & frequentiſſimo conuentu, & attentione, vultu denique ipſo, oculiſque conſilium: his enim omnibus ego (vt dixi) vos per vos ipſos optime ad hoc efficiendum animatos, paratoſque conijcio, & hac mea me falli coniectura nunquam vos exiſtimo pro veſtra bonitate, in ſanctam Eccleſiam obſeruantia, & in Deum pietate paſſuros. Deum autem ipſum ſanctiſſimum confido nobis omnibus virtutem ad ea, quę pro ſua miſericordia dedit incipere perficienda, & perſeuerantiam ſuppeditaturum eſſe benigniſſime, daturumque vt aliquando tandem zizania iniquiſſima de ſuo puriſſimo agro ita eradicentur, vt ne vel minimæ quidem fibrę ſint ex eorum ſpurciſſimis radicibus remanſuræ: effecturumque præterea ſua potentia, & pietate, vt ſuæ ſanctiſſimæ fidei veritas in dies magis ac magis appareat omnibus, vt nullum poſthac de fide dubium oriri poſſe cuiquam videatur: & denique mores Eccleſiæ ſuæ ita reformaturum, vt chriſtiani generis actiones, & vitę degendæ ratio ad naſcentis Eccleſiæ feruorem, ſanctitatemque reuocetur, & chriſtiani nominis integritas auro ſeptuplum igne purgato, & examinato purior, ac ſplendidior eluceſcat. At tu Petre ſanctiſſime, in cuius tem

plo ad ſum, pro ardentiſſimo tuo in Dei optimi maximi filium amore, tuis puriſſimis, & Chriſto Domino gratiſſimis precibus, fac tuis ouibus paſtor optime conſulas, fac tandem arceantur lupi a tuis caulis, & feræ crudeliſſimę tuis gregibus paſſim inſultantes capiantur: fac ſanitatem integram tuis morbidis agnis a periţiſſimo medico Chriſto Ieſu impetres, fac ſolitam fortitudinem ſano gregi tua pietate, charitate, orationibuſque conſerues, quo tui amantiſſimi, ac dilectiſſimi filij tecum aliquando præceptoris tui dulciſſimi iucundiſſima præſentia in ſempiternas ſeculorum ætates perfruantur.

Hic meam nunc, patres optimi, orationem, vt videtur, terminarem liceret: eſt enim nimirum omnis noſtra propoſitio abſoluta, & declarata: ſed placet ante paucis vos alloqui familiarius, & dictionis vehementioris omiſſa grauitate, leniori quodam dicendi modo vobiſcum ſermocinari. Conſiderandum nobis omnibus eſt, patres optimi, etiam atque etiam quale talẽtum ſit nobis a Domino creditum, quantum ſit onus, quod noſtris eſt humeris alligatum, quae ſiţ a nobis noſter Chriſtus exquiſiturus: ὑμὶν λέγω μάλιστα τοὺς τῦ βήματος, ὀφθαλμὸν εἶναι μὴ σκότους πεπλησμένον, μὴ καὶ πρόεδροι τοῦ κακοῦ φαινόμεθα, εἰ γὰρ τὸ φῶς τοιοῦτον τὸ σκότος πόσον; ait Gregorius Nazianzenus: vobis ait præcipue dico, qui præſideris cęteris, vt non ſitis oculus plenus tenebris: ne occaſionem dare malo videamur: ſi enim lux talis eſt tenebræ quantæ fient? Voluit enim optimus Deus labia ſacerdotum ſcientiam cuſtodire, vt ſuo gregi panem frangere, calicemque porrigere poſſimus: non dico nunc tantum Eccleſiæ illis miniſtrare ſacramenta, ſed viam Domini demonſtrare, aperire ſcripturas, & eos quę ſit voluntas Domini beneplacens, ac perfecta perfecti perfecte docere: Atque hoc talentum eſt, patres optimi, quod nobis Deus ad multiplicandum commiſit, & onus, quod noſtris humeris impoſuit ad geſtandum. Quid ergo? Niſi nos primum omnes ad ſacroſanctas concilij ſanctiones obſeruandas aggrediamur, & in ea re noſtrã omnem curam, ſtudium, operamque figamus, ac locemus, quid cęteros, patres optimi, qui de nobis exempla ſibi debent proponere virtutum, quid, obſecro facturos exiſtimatis? Si oculi erunt ſimplices, tota corpora lucida ſunt futura: ſin minus: ſed nolo reliqua, ne aliquo modo aſperum quid ex me, aut ingratum audiatis. Hoc tantum dicam, tumultuarios, & gregarios milites tum demum acriter, fortiterque pugnare, nec vllum vel horrendũ timere mortis genus, cum centuriones, pręfectos, tribunos viderint in primis cornibus hoſtium iacula negligere, repellere gladios, inſultare periculis & ipſam denique mortem irridere. Nos, nos inquam oportet ſimus patres optimi, qui maximo feruore, & fortitudine cõcilij decreta complectamur, & deinde omnes idem ſperemus Domino auxiliante facturos. Certe cũ hoc nos, quod ad nos pertinet, perfecerimus, alacriori animo poterimus cæteros, niſi fecerint idem, incuſare, arguere, reprehendere: ſed niſi prius noſtras abluamus manus, quomodo poterimus lauare facies aliorum? Qui ſerui voluntatem Domini ſciunt, & non faciunt, vapulaturos eſſe multis non ignoratis, & qui talentum defodit in terram, tortoribus traditus eſt, in tenebras exteriores miſerrime præcipitatus. Rationem pręterea de noſtris gregibus Domino reddituris patres optimi quanta nobis eſt in illis paſcendis diligẽtia, & cuſtodiendis adhibenda oues, vt ſcitis, perditas negligentia noſtra, lupis rapacibus, leonibuſque diſcerptas de noſtris manibus requiret Dominus in illa die, cum abſcondita cordium reuelabuntur, cum aſcendet fumus

in ira

in ira Domini, & ab eius facie ignis exarſerit. Hoc autem profecto me vere dicturum exiſtimo a ſacerdotibus maximam obſeruandi concilij partem imo totam ſanctæ tridentinę ſynodi obſeruationem a Clericis perinde pendere, & a nobis eſſe decreta concilij ſuſtentanda non ſecus, ac a fontibus flumina procedunt, & vt reliquum corpus oſſa ſuſtentant. An patres optimi, patiemur nos hac ſumma quam de concilij abſolutione, ac Romani pontificis approbatione accepimus, lætitia nunc priuari? An rurſus nos in timores illos horrendos, quibus aſſidue cruciabamur, ne nos hæretici funditus perderent, infelices incidere? An committi noſtra negligentia vt ſimplices Dei animæ rurſus in errores, & fallacias inducantur? An culpa noſtra fieri vt greges Dominici debito pabulo, ac panis fractione fraudentur? An contingere ſocordia noſtra vt tanta Domini benignitas, tantumque beneficiũ contemnatur? An ſanctæ Romanæ Eccleſię dicto audientiſſimi nõ erimus? An vel ipſa noſtra vita propria, & ſanguine Eccleſiæ ſanctę Romanæ, catholicæ, apoſtolicę incommoda non redimemus? Ah procul a nobis abſit torpor omnis, omniſque cunctatio: nihil vnquam in nobis, quod non puritatem, ſanctitatem, pietatem in Deum, & ſanctam Eccleſiã charitatem, & obſeruantiam redolere videatur, appareat. Iam omnes acerrime ſurgamus patres optimi, & omni dubitatione ac tempore ſecluſo, omni priuato noſtro commodo ſpreto, & abiecto, maxima fortitudine, ſincero animo, rectiſſima mente, ardenti charitate, optimo Deo id a nobis maximo poſcente opere, ac flagitante, & pręmium retributionis ęternę coronam promittente, pedibus Reuerendiſſimi noſtri, catholici, orthodoxi, & optimi Epiſcopi prouoluamur: ab illo concilium omne ſeruandum a nobis inuiolabili lege accipiamus: illique nos vt patri filios, vt principi ſubditos, vt Domino ſeruos, & hac, & omnibus in rebus obtemperaturos eſſe paratiſſime: illi noſtram operam, curam, induſtriam, diligentiam, & ſtudium omne libentiſſime, fortiſſime, ac perſeuerantiſſime daturos ad hunc Fauentinum gregem paſcendum, cuſtodiendumque polliceamur, & in eius manum perfectam Romanæ Eccleſię obedientiam, promptam, ſinceram, perpetuamque iuremus. Dixi.

Habita Fauentię in Diui Petri in ſynodo Diœceſana.xiiij.cal. Mart. 1565.

Imprimatur Florentiæ ſine preiudicio.

Guido Vic. Floren.

Z 1001 15

99 954103

MC